VIRO summe Reuerendo, Amplissimo
Patrono ac Fautori maxime
semper deuenerando
D. F. Alb. ÆPINO
S. et O.
J. P. Kohlius. Auctor der Hamburgischen berichte von gelehrten Sachen.

Maximam uoluptatem mihi attulit epistola Tua, secundae ualetudinis Tuae nuncius. Quumque summo mihi utique honori ducam, a tam Summo in omni scientia Uiro litteris iisque humanissimis appellari: tum uero lætissimis ac fere hiantibus eas manibus accepi. Nescio autem quomodo contigerit, ut, cum d. 24 Jan. fuerint a Te Rostochij datae: hodie demum 12 d. Februarij ad meas manus peruenerint: eo scilicet tempore, quo auctio Feldianorum librorum, quamquam non ex ~~tam~~ multitudine, quae non magna adeo erat, ex selectu tamen æstimandorum, ad finem jam erat perducta. Impedimento hoc fuit, quo minus Uoluntati Tuae, Uir Amplissime in coëmendis designatis libris potui exasse satisfacere. Accedit quod neque Augustini opera integra neque Centuriae Magdeburgenses integrae comparuerint. Interim tamen memorati atavi Tui excellentissimi i. e. tui similis Uiri Joh. Æpini de sepultura impiorum, a Dn. Nuhlio (h. t. Proreetore) obtentum librum ut TIBI eiusdem amatori acquirerem laboraui. Adij igitur Uirum, TIBIque ut librum cupienti cederet rogaui. in quo eum minime recusantem, sed promtum inueni: mihique ut ad TE rescriberem injunxit, sese neque in hac neque alia quavis occasione tuis ~~studijs~~ desiderijs fore aduersum. Cum primum igitur hunc librum ab eo recepero, cum catalogo simul Feldianae bibliothecae commode si fieri potest,

ad TE mittam! Scribis TE alijs quoq in locis eorun-
dem librorum emtionem amicis demandasse, mihiq pro-
pterea ut quos libros obtinuerim, continuo renunciem nego-
tium das, ne duplici forte opus sit solutione. Fecissem
quod jubes, ad omnia servitia præstanda paratus, si per litte-
rarum Tuarum minus cito redditarum moram licuisset.
quod si vero hoc ipso illa altera emtio fuisset impedita
equidem dolerem. Interea me VIR Summe Reverende
immunem culpa judicabis, meq devotissimum ac obsequen-
tissimũ Tui nominis admiratorem, absentem licet tuo
favore ac patrocinio complecti perges. DEUS humana-
rum rerum gubernator servet TE nobis suæq Ecclesiæ diu
incolumem! Dab. Kilonij d. 12 Februarij. Anno 1722

A Sa Magnificence
le M. Æpinus, Docteur
en Theologie et Philosophie
tres celebre.
presentem.

a
Rostock.